



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

2. In quem fructum & ad quid resurrexit Christus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**



corpus eius vidit corruptionem in terra. Hunc igitur Iesum Deus resuscitavit à mortuis, cuius nos testes sumus &c. Et Paulus Actuum 13. David prædixit Christum resurrecturum à morte, quando dixit de illo Psalm. 15. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Sic Osee 6. Dominus Deus vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, &cæt. Sic Christus cõsolatur omnes fideles de sua resurrectione, quemadmodum facit Matt. 12. de signo Ionæ, & Ioan. 2. Soluite templum hoc, id est, soluetis quidem, sed ego resuscitabo illud in tribus diebus: quasi diceret, Nolite timere, si Iudei hoc meum corpus occidunt: ego resuscitabo illud, & resurgam, sicut omnes testantur Prophetæ & Evangelistæ, & Apostolorum symbolum nos docet, quòd tertia die resurrexit.

2.  
 Secundò, fructum resurrectionis Christi breuiter & optimè describit Apostolus Romano. 4. inquit: Christus mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter nostram iustitiam: Nostra iustificatio, id est, *rechtfertigunge* / est fructus resurrectionis, sed hoc sic intelligitur, ex hoc quòd Christus mortuus est atque passus, sequitur quòd nostra peccata super se accepit, & quòd propter nos passus atque mortuus est, & iram quam nos meruimus, apud Deum ipse portauit, Esa. 53. ideò dicit Apostolus: Mortuus est pro peccatis nostris. Secundò, quia anima eius in inferno, & corpus eius in morte ac in terra non manet, sed per gloriam Dei patris iterum resurgit à morte, & ex hoc notatur quòd ira Dei finem habet, & quòd nobis remissa sunt peccata. Si enim in morte mansisset & in terra corpus eius, & anima in inferno, & non resurrexisset, tunc notum fuisset quòd nõdum placata esset ira Dei, atque peccata dimissa: sed quoniam resurrexit & viuit, ideò certissimum est signum. quòd satisfactio pro peccatis facta est, & impetrata gratia atque remissio



remissio peccatorum. Et quoniam Deus vult nobis imputare (zurechnen) iustitiam Christi, ideò dicitur quòd resurrexit propter iustificationē nostiā, id est, vt Christi iustitia nobis imputetur. Vult ergò Deus nunc ex misericordia nobis qui credimus, imputare iustitiam Christi filij sui, & non peccatum, sicut dicit Apostolus 1. Corinth. 1. Qui factus est nobis à Deo sapientia, iustitia & sanctificatio, & 1. Corinth. 15. sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes, &c. Vt enim quandò alius pro nobis patitur, soluit aut satisfacit debito, & postea libertati traditur, certum est quòd & nos liberi sumus, quia ille pro nobis satisfecit, & omnes quoque liberauit. Quandò autem liberi sumus, tunc sumus iustificati, sic vt amplius nemo super premissò debito nos accusare aut aliquid exigere debeat: Sic quoniam Christus à morte resurrexit, & libertati donatus est à peccato, morte & sathana: sequitur quòd & nos nunc liberi sumus propter Christum à peccato & morte, ne nos damnare possint: & sic Christus resurrexit propter nostram iustificationem, quia pater eum captiuauit & flagellauit, & occidi fecit propter nos. Sed cum iam vincit & liberè efficitur, nos quoque omnes propter illum reputat iustos & liberos à peccato & æterna morte: Sic tamen, ne deinceps non secundum carnem viuamus, Romanorum octauo. Sumus hodiè peccatores, omnes morimur, infernus & sathan adhuc viuit: non sic liberati sumus, ne illa nos afficiant, sed quòd nos damnare non possunt propter Christi iustitiam, quã pœnitentibus pater imputat: Et quoniam habemus Christum Dominum peccati, mortis & sathanæ, qui non derelinquit in se sperantes.

3. Tertiò, potissima pars apostolicę prædicationis est de resurrectione Christi, sicut etiam Paulus ait corã Festo & Agrippa Acto 26. Testificans minori atque maiori &c. & Apostoli penè omnes in suis scriptis

comme-